Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26206
Copyright: Admont, Benediktinerstift

illa omnipotentia que in celo et in terra secundum prophetam omnia quecumque uoluit
fecit. Et quomodo uoluntati eius secundum apostolum nichil resistit si colligere
filios ierusalem uoluit et non fecit. Hec enim predictis plurimum ob
uiare uidentur. Solutio quomodo intelligendum sit illud. uolui congregare.
Sed audiamus solutionem. ac primum quomodo accipiendum et noluisti.
sit illud quod dominus ait uideamus. Non enim ex eo sensu illud dictum est
~~ut ait augustinus in enchiridion predictam soluens questionem~~. quasi dominus
uoluerit colligere filios ierusalem et non sit factum quod uoluit. quia ipsa
noluit. sed potius quidem illa filios suos colligi noluit. quo tamen nolen
te filios eius collegit ipse omnes quos uoluit. quia in celo et in terra omnia non quedam
uoluit et fecit. quedam uero uoluit et non fecit. sed omnia quecumque uoluit fecit
ut sit sensus. Quotiens uolui congregare filios tuos et noluisti. i.
quotquot congregaui uoluntate mea semper efficaci. te nolente feci.
Ecce in euidenti positum est quod illa domini uerba superioribus non repug
nant. Quomodo intelligendum sit illud. qui uult omnes h. s. fieri.
Nunc restat uidere quomodo ea premissa uerba apostoli predictis non contradicant
qui loquens de deo ait. Vult omnes homines saluos fieri. Quorum occasione
uerborum multi a ueritate deuiarunt. dicentes deum multa uelle
fieri que non fiunt. sed non est intelligendum ea ratione illud esse dictum.
quasi deus uoluerit aliquos saluari et non saluentur. Quis enim tam impie
desipiat ut dicat deum malas hominum uoluntates quas uoluit
et quando uoluit et ubi uoluit in bonum non posse conuertere. Non est utique
uerum quod in psalmo dicitur quecumque uoluit fecit. si aliqua uoluit et non fecit.
et quod est indignius ideo non fecit quia ne fieret quod uolebat omnipotens. uo
luntas hominis impediuit. ideoque cum audimus et in sacris litteris
legimus quod uelit omnes homines saluos fieri. non tamen ideo debemus
omnipotentissime uoluntati aliquid derogare. sed ita intelligere
quod scriptum est. uult omnes homines saluos fieri. tamquam diceretur nullum
hominem fieri saluum nisi quem fieri ipse uoluerit. non quod nullus